

Elegia

di Francesco Maria Molza

Salvete, o nemorum castae undarumque puellae,
Naiades Nymphae, Nymphae et Hamadryades,
Tuque pater Sylvane, Deus pecudumque boumque,
Salvete et vos, o Capripedes Satyri:
Me iuvat umbriferis vestris recubare sub antris,
Ducere et in vestris fontibus usque dies.
Vos mi invisae urbes, vos et tecta ampla, valete,
Et vos magnorum templa superba Deum,
Hic ego sylvicolis dicam solemnina semper
Verba Deis, propriis sacra ferens manibus.
Spicea iam prima pendebit messe corolla,
Flava Ceres, templis munera digna tuis;
At tu, Bacche, feres lecta de vite racemos,
E quibus emanant nectarei latices:
His ego te redimiam frondenti palmite sertis,
His tu, sancte pater, tempora vincta geres.
Teque, o magna Pales, spumantia pocula lacte
Dulcia dona tuo nomine fusa manent.
Ast alii quibus alta habitare palatia curae est,
Et vestes molli poscere ab usque Tyro,
Caelicolis properent tauros mactare superbos,
Et magnis aris munera magna ferant.
Illi etiam studeant auras captare profani
Vulgi principibus et placuisse viris;
Certent ingenio, contendant nobilitate,
Et magnis opibus bella cruenta gerant;
In thalamis auro stratis ostroque rubenti,
Inque toris niveis, textilibusque cubent.
Sat mihi, cum rapido depascitur arva calore
Syrius arbustis noxius atque ovibus,
Propter aquae rivum molli requiescere in herba
Et dulces somnos fonte innante sequi.
Si tellus fuerit rigidis conspersa pruinis,
Concrescetque omnis fontibus unda gelu,
Tunc ego pauperibus vitam traducere tectis
Atque humiles possem, quaeso, habitare casas.
Agrestes epulae mihi mensa suppeditentur,
Parvus et exiguo luceat igne focus;
Adsint castaneae, sit mollis copia lactis,
Dulcia nec desint tempore vina suo.
Haec mihi contingant; sit iam ditissimus ille
Qui subeat uno mille pericla die,
Qui pendens animi semper noctesque diesque,
Anxius incertis sollicitusque bonis
Assiduo parcus studio cumulare laboret
Quas haeres fundat luxuriosus opes.
Nos docuit parvo rerum Natura Creatrix
Et sine continuo vivere posse metu.
Aurea si ditum non fulgent pocula nobis,
An non sat vitro posse levare sitim?
Quod si etiam nullus crateris iam foret usus
Natura effossas condidit ipsa manus.
Foelices olim Saturno Rege creati,
Omnia namque illis terra benigna dabat.
O, utinam nobis etas nunc illa rediret,
Priscaque cum veteri simplicitate fides,
Non essent caedes, non horrida bella nec enses,
Nec tanta imperii dira cupido foret;
Florerent terris castae dulcesque Camenae,
Floreretque sua Phoebus Apollo lyra:
Cuius ego ingressus nunc primum templa sacerdos
Securus ruri rustica dona cano.